Reyzner Alexandri: Otio pullato syrmate involuta ad feralem urnam D. Jacobi Zeleński.

C L I O
Pullato ſyrmate inuoluta
Ad Feralem Vrnam

Perilluſtris olim ac Magnifici Domini,

D. J A C O B I Z E L E N S K I.
V I T E L L I N I
POCILLATORIS BRACŁAVIENSIS.

Viri de Republicâ Polonâ meritiſsimi

D V M

Jn Kurozwęcenſi Canonicorum Regul: Ord: S. AVGVSTINI, Eccleſiâ tumularetur.

P E R

ALEXANDRVM REYZNER, *in Almâ Vniuerſitate Cracouienſi, Sacræ Theologiæ Audit:*

Poſthumæ erga Mecœnatem Fauentiſſimum gratitudinis ergò

D E D V C T A.

Anno Æræ Chriſtianæ M. DC. L. III. XI. Febr.

C R A C O V I Æ,
Apud LVCAM KVPISZ, *S. R. M. Typographum.*

20.

Detur hoc illuſtrium virorum poſteritati; vt quomodo exſequijs à promiſcuâ ſepulturâ ſeparantur; ita in traditione ſupremorum, accipiant habeantq; propriam memoriam.

Tacitus, 16. Annal. Cap. 16.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO,

D. JACOBO

Á BRZEŹIE

BRZESKI.

S. R. M. SECRETARIO.

GENEROSO AC MAGNIFICO DOMINO,

D. GEORGIO

ZELENSKI.

VITELLINO.

Dominis & Patronis Amplissimis, S. & P.

HVc vsq; Sarmatæ infelices Diuinam prouocauimus vltionem; vt conficientibus Rempub: annorum aliquot calamitatibus, permultos eorum virorum, quibus illa maiorem se in modum solabatur; quos intuens omnium quas excepit acerbitatum memoriam deponebat; in Primatu Regni, Senatu, Castris, Equestriq; Ordine occasûs addiderit. Tolluntur scilicet è gremio Patriæ Ancilia ista & Palladia; quibus hæc orbata, deteriora quidem omnino metuere, sed frustra sperare meliora debet. Si Brasidâ extincto Sparta collapsa est; si trucidato Epaminondâ Thebæ cladibus agitatæ; si sorti Alcibiadis, semper ex æquo respondit A-

thenarum fortuna; quid optatum Sarmatiæ poterit affulgere, quæ tot Brasidas, Alcibiades, Epaminondas in pauco annorum curriculo amisit? Ad quam lamentabilem publicæ orbitatis accessionem, hoc duntaxat restabat vnum, vt Perillustris IACOBVS ZELENSKI *ad Prytanæum æternitatis raperetur. Ad cuius tanquam Achillis tumulum, Aquila Sarmatica suis cum pullis mediusfidiùs lachrymas continere non potest; eiusq; oculi desiderant sublatum auctorem istum suæ gloriæ, ac felicitatis incomparabilem. Quæ publica dolendi materies, meum insuper acerrimè præfodit pectus: cui cùm ab illo superstite, liberalissima beneuolentiæ experiri argumenta; tum præstò spirantem ex eo venerari admirariq; licuit maiestatem virtutum incredibilem. Alios quidem ad excitandos Fautoribus suis collossos, statuas, pyramides, obeliscos, hæc lugubris commouit gratitudo: me tamen ad literarium potiùs erigendum instigat monumentum; quod supra illas infirmas gratæ pietatis tesseras, vitâ in animis & oribus posterorum, donat ornatq; morientem. Quo absente, multorum vt corpora, ita diuinissimæ dotes mortis tyrannidem subierunt,*

Horatius lib. 4. O. de 9.

Vixêre fortes ante Agamemnona,
Multi: sed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotiq;, longâ
Nocte, carent quia vate sacro.

Dignus est profectò tam egregius Vir & Ciuis, ad cuius nomen à puluere obliuionis vindicandum, iterum ad vitam rouocentur Homeri & Marones; quorum non nisi calamo rectè Orbi proponi posset imitandus: cùm & mea tenuitas ingenij adeò tantæ impar videatur prouinciæ; vt ex incredibili rerum ab eo præclarè gestarum Oceano, vix guttam possit ad celebrandum assumere. Proinde cùm eam exaudio Io: Barclaij vocem: Tentauerant etiam Musæ Sauromatas & Polonos, sed in ipso limine tenellulæ Virgines sæcularibus niuibus inhorruerunt; *non aliud de illâ sentire ausim; nisi, quòd quantò permultis sub frigido nostro cœlo facilè Poëtarum*

Satyrici parte 1.

tarum principibus, minùs; tantò mihi isto cum oraculo magìs conueniat; à quo huiusmodi Musarum rationes, non inficior esse penitus alienas. Quodsi non nihil à me hoc in studio stadioq; tentatum est: id eam in partem à iudicio posteritatis accipi aueo; vt quidquid est, non ingenij, sed luxuriantis erga Mecænatem desideratissimum pietatis statuatur argumentum. Neq; verò in alijs manibus libentiùs conquiescere potuit ac debuit mea piè temeraria Clio MM: Domini, quàm Vestris. Vbi enim quàm in Vestro sinu, sese benigniùs habendam sperat Heroicarum illius virtutum buccinatrix? cuius ad sydera discessus, Vobis mærendi necessitatem reliquit acerrimam. Te quidem Illustr: ac Magn: Domine BRZESKI, *superstes ille, ob eximiam rerum quà sago quà togâ gestarum amplitudinem, ob ardentissimam in amplificando Superorum cultu, bonoq; Reipub: propagando pietatem, ob totius Familiæ Tuæ præclarissimæ, non modò auita, sed etiam parta proprijs Heroicis virtutibus ornamenta, adeò veneratus & amplexatus est; vt* FILIAM *suam iucundissimam, Heroidem lectissimam, citraq; controuersiam Domûs* ZELENIANÆ *Pandoram, in vitæ societatem (vtinam per Nestorea fata dissoluendam!) deuouerit. Tuam verò Genero: ac Magn: Domine* ZELENSKI, *ad altissima quæq; procreatam indolem, factorum suorum Paternorum, quæ vt sol meridiem Orbem Sarmaticum illustrârunt, ex asse hæredem semper optauit relinquere: ne in Te nimirum Romanorum vsus, à quibus Vitellinam gloriosè trahis originem, virtutes parentum imitandi, exolesceret. Si quidem (ait Tullius)* non modò in gloriâ rei militaris Paulum Scipio, aut Maximũ Filius; *sed etiam* in deuotione vitæ, & in ipso genere mortis, imitatus est P. Decium Filius. *Atq; inibi idcirco* Effigies maiorum in prîmâ parte ædium poni solebant; vt eorum virtutes, posteri non solùm legerent, sed etiam imitarentur. *Inde Corn: Tacitus patrio morem gerens instituto; post soceri Agricolæ decessum, hoc ipsum posteris illius vel maximè commendabat patrimonium:* Præceperim, *inquit,* sic patris, sic

Valerius Max: in Memorab.

In Agricolâ cap. 46.

B mariti

mariti memoriam venerari; vt omnia facta dictaq́; eius reuoluant, famamq́; ac figuram animi magis quàm corporis complectantur. *Ab hâc Te igitur à Romanis oriundum Romanorum consuetudine, Genitor Tuus desideratissimus degenerare noluit: sed in Te animi sui honestamenta, ac Paternorum celebritatem facinorum, pleno iure transfusam concupiuit. Quo quid tandem, aut ille Tibi vouere, aut Tu ambire nobilius potes? Adest itaq́; etsi horrida & inculta fortasse Clio mea; quæ Tibi Heroicæ Parentis vitæ epitomen, velut vlterioris ætatis Tuæ sistit archetypum: debitumq́; inculcabit vestigiis illius insistendi officium, quem velut Cynosuram suspiciendo, dubio procul ad aureum gloriæ immortalis vellus peruenies. Mihi porrò reliquum est MM: Domini, cum Superis immortalibus votis effusioribus licitari; vt mihi Vestram florentem, sospitem, ac diutissimè incolumem vitam, obsequiorum meorum efficiant materiem: neq́; ampliùs lugubres Musas Vestrum producere in conspectum; sed continuum prosperitatis incrementum Vobis persæpe gratulari patiantur.*

Magnificarum DD. VV.

Cliens addictissimus,

ALEXANDER REYZNER.

CLIO.

HEi mihi! pullatam ſqualenti carmine Muſam
Plãgere, fata iubent: quisnam ſuperaddere leſſum
Abnuat? ac Diuæ triſtem ſociare dolorem?
Cuius funeſtis vlulat concentibus æther;
Auguſtum Lechici lumen columenq́; trionis
Inuidiſſe ſolo Superos, ac mordicus aſtris
Aſſeruiſſe virum, ſummâ qui laude Polonam
Dotauit Volucrem, typus & pia norma Quiritum
Sauromatûm fuerat, nulli virtute ſecundus.
Sed mihi tu memora dubio Latonia proles:
Qûi tandem potuit gelidum ferijſſe Bootem
Vox longinqua Deæ? tanti quæ cauſa coëgit,
Tanti quove loco licuit miſereſcere casûs?
Jam prope ſyderei feruebant brachia Cancri,
Cynthius incentat fidibus; ſonat ergo futuri
Teſſera Concilij: vitreum Phorcynidos amnem,
Seu Aganippæum dulci modulamine fontem
Mulcebant, ſeu quâ Cyrrhæ luſêre ſub vmbrâ,
Haud mora proſiliunt Heliconia Numina Muſæ,
Parnaſſiq; iugis bipatentibus inſederunt.
Cynthius interea roſeo ſic incipit ore:
Eia (mihi quoniam Diuûm pater atq; hominum Rex,
Jmperitare dedit vobis, & pandere iuſſa)
Soluite iam Tempe Bæotica ſoluite Muſæ.
Tempora nunc atris veniunt ſignanda lapillis,
Tempora quæ tremulis memoranda nepotibus olim.
Sex quinquaginta ſexcentas milleq; brumas
A propriâ quondam cenſebat origine mundus; Sleidanus de Monarchia lib. 3.

 Omnia

Omnia cùm, iusti saluâ modò classe Noachi,
Æqua superiecto consumeret vndiq; ponto
Syrtis, vt elueret lasciua piacula terris.
Jmminet en totidem grauidus Climacterus annis
Post instauratum CHRISTI conamine mundum.
Quæ mala quas clades voluat, quis credere possit?
Necdum transactis lustrum complebitur annis,
Arquati & Latossij vetus prognosticum. Et iam Turcigenûm video manet horrida sceptrum
Pernicies, dudum quam præscia sydera spondent.
At nec Christicolis parcent mala fata, nec vlli
Dissimulare volet meritas Rhamnusia pœnas.
Horrida consurgent spectacula, quæ tamen atrâ
Nocte premunt Superi. Quare mea viscera Musæ,
Juuerit in varias celeri pede protinus oras
Maturare viam, venturos cernere casûs;
Ex his æternos animisq; inscribere fastos,
Quos tandem seri valeant audire nepotes.
Dixerat: Aonides tantis parere parabant
Jmperijs. Igitur pedibus talaria nectunt
Aurea, sublimes quæ mox, seu æquora supra,
Seu terram, rapidò pariter cum flamine portent.
Jamq; secant cursu ventos; pars littus Eoum,
Hesperium pars illa petit, pars vergit ad Austrum,
Pars lustrat Boream: quarum pulcherrima sese
Sola Borysthenias præceps demisit ad vndas,
Æternæ vindex laudis dexterrima Clio.
Vt primùm tetigit niueis ea limina plantis,
Sarmatiam seruæ spectat sua iura nouantem:
Russia sed tumidâ frænum ceruice retundit,
Seruitij pertæsa sui. Veluti canis atrâ
Dum flagrat rabie, multoq; cruentus ab ictu,
Exanimis plagis, ad ferrea vincla catenæ
Cogitur, incautos morsu circumuenit artûs:
Hæc pariter malefida. Citò sed Diua propinquans,
Sarmatiæ dictis ita compellatur amicis:
Sarmatia queribunda. Salue magna Iouis proles, Heliconia salue
Gemma, decusq; poli: Sanè melioribus istic

Auspicijs,

Auſpicijs, vtinam fas eſſet cernere vultûs
Virgo tuos: nunc te cogor venerarier ægris
Poplitibus; quanto pallent mea corpora tabo
Aſpicis: hæc Ruſſi porrò monumenta Gradiui
Jam luſtrum patior. Gens hæc aſſueta Pelaſgæ
Perfidiæ, gens ſacrilegæ periuria dextræ
Aſſocians, gens quæ pariles hominumq; Deiq;
Fertur in exuuias, tigri truculentior Afrâ,
Terrenæ impatiens Maieſtatisq; ſupernæ;
Gens quæ Sarmatici ſpretâ ditione Monarchæ,
Colla Mahumetico mallet ſacrare Tyranno,
Jntulit; inq; meo graſſata eſt viſcere telis.
Per Styga, per Superos toties iurata perennis
Fædera ſeruitij conuellit; iamq; cruentum
Strata Bereſtecijs, rurſum caput erigit, armis.
Aſpicis vt prædura fames, de fronte colorem
Abſtulerit, vacuosq; mihi compreſſerit artûs:
Siue Saguntinam memorabis ſeû Peruſinam
Victûs pauperiem, nobis regnauit inulta.
Aſpicis vt noſtras atrox Libitina per vrbes,
Ruraq,, funereis bacchatur onuſta trophæis.
Ohè dulce mori; iam iam. ſalueq; valeq;
Nata Iouis. Subitò non paſſa Camæna querentem
Plura, ſed in medio ſic interfata dolore eſt:
Siccine priſca tuo procul exulat Heroina Sarmatiæ conſolatio.
Pectore fortunæ domitrix conſtantia? vanos
Solue metûs. Eheu! quibus abſtinet improba regnis
Tiſiphone? Vacet annales audire malorum,
Quæ tot in externas ſparsêre pericula gentes.
Octonis quantum diſcrimen Iberia luſtris
Pertulit? indomiti quæ non Mauortia Belgæ
Geſta, ſuo lachrymans Neptuni pinxit in aruis
Sanguine? bellaci gentiq; reſoluit habenas.
Vltra ſeptenum crinita Suecia luſtrum,
Mouit in Auſonium crudelia prælia Regem;
Fortis & inſtructis flammâ ferroq; cateruis,
Edidit horrificas longè lateq; ruinas.

Quæ cùm ſepoſitis ſerò miteſceret armis,
Jrrequieta tibi Iani Bellona recluſit
Oſtia. Iam verò ſimilis te memoria ſortis
Leniat, euellens atras de pectore curas.
Neu obſtare tuis hæc cenſe prælia neruis;
Summa Muſulmanico veniunt ſi tempora regno,
Si veniunt (fauſtis iam quippe monemur ab aſtris)
Vſibus his belli firmato corpore, Lunas
Prima Mahumetici poteris calcare Tyranni.
Neu tu lethiferæ doleas contagia peſtis,
Quæ facit vt ſcandat numeroſa colonia cœlum,
Gratia quam CHRISTI ſacro renouauit in Anno.
Ac noua cùm terris iecit fundamina virtus;
Blattamq; tineamq; domat virtutis, & hoſtem
Luxuriem pretioſa fames. Tu ſcilicet arce
Singultûs, hilari captans ſolamina fronte.
Hæc vbi dicta leues confeſtim fertur in auras,
Exciſas vrbes, inhumataq; corpora paſſim
Spectans, & cineres, oculos animumq; moratur.
Jamq; dies aliquot Phæbus dimôrât Olimpo,
Aëra cùm Tyrio findebat murice, Nymphas
Saniades ſaluere iubens, tandemq; propinquans
Candida Viſtuleis pernix veſtigia rippis:
Jllicet obriguit, gelidus teneroſq; per artûs
Pallor ijt, metus & languentia pectora circùm.
Aures fama quatit magni prænuntia luctûs;
Jſtuleæ planctu Nymphæ, cœlumq; remugit;
Tolluntur paſſim triſtes ad limina taxi,
Funereæq; faces; reſonat ſingultibus æther:
Sæpe VITELLINI geminatur triſtè IACOBI
Nomen, & Herois quondam venerabile corpus,
Exuuias feciſſe ſibi nunc forcipe Parcam.
Senſerat attonito ſingultûs lumine Muſa,
Auſa fidem tantis lethi nec demere ſignis.
Mugijt inſueto luctu gemituq; per auras.
Humectans vitreo circumflua lumina nimbo:
Carpit contextum croceo velamen acantho,

Soluit

Soluit cæsariem, nec parcit dextera byſſo,
Vnguibus inceſtat ceû verna roſaria malas,
Nec patitur feſtam circùm ſua tempora laurum,
Sed caput intexit feralis fronde cupreſſi·
Audijt hunc Diuæ quæuis vicinia luctum;
Iamq; per vmbroſas graſſatur nænia ſyluas,
Jam ferit aërijs teretes in montibus ornos,
Jam ferit aſſiduo crepitantes murmure lymphas.
Ergo conuolitant Fauni Satyriq; bicornes,
Naiades, Dryades, comptæ quoq; Oreades adſunt,
Denſo florilegæ concurrunt agmine Nymphæ:
Plangentis gemitus vel quæ vicina coëgit
Numina, mærenti præſtant ſolatia Muſæ.
Prorſus luctificam Diuûm vis nulla ſerenat:
Circumfuſa tamen releuantia dicta Deaſtris
Dantibus, hæc conqueſta diu lachrymansq́; gemensq́;.

Hei mihi fatalis nimiùm locus! hei mihi vitam
Demoror inuiſam! Cur te fortuna IACOBE
Jnuidit fortuna mihi? Cur occidis? eheu!
Tune meum prædulce decus violenta necâſti
Atropos? hæcne mihi de te fiducia quondam?
A te ſublata eſt Lehico Cynoſura trioni,
Regum deliciæ, Sanctiq́; volupe Senatûs,
Ordinis exemplar, præluſtreq́; ſydus Equeſtris,
Jnclyta Sarmatici memorandaq́; gloria Regni.
Egregiam verò laudem capis atq; trophæum.
Quem ſpolias vitâ, ſurreptæ præmia vitæ
Suſcipit, aſtrigerâ perpes victurus in arce:
Eſt vbi pax, pietas, bonitas, virtus, & honeſtas,
Gloria, lætitiæ, dulcedo, vita perennis,
Gaudia, lux, requies, amor, & concordia dulcis.
Vt primùm terræ ſolem patefecerat Eos
Octauum, ſacri poſt Corporis Orgia CHRISTI; *Cur in Octauâ Corporis CHRISTI è vitâ diſceſſerit.*
Jllicet Eccleſiam fauſtis pia pompa triumphis
Jngreditur, ſubitò tellus ouat æmula tectis
Stelliferis, facies pagos arridet & vrbes

 Cœlica

Cœlica lætitiæ, toto pretiosius orbe,
Æthere demissum gaudent iactare monile
Terrigenæ, CHRISTVM specie panisq; meriq;
Velatum; diâ splendent altaria Cænâ,
Certatim Angelicis vescuntur & agmina mensis.
Desijt ille moras vitæ plùs nectere tardas:
Nam te prospectans alienâ CHRISTE figurâ,
Vt iam detracto velamine cerneret, aulam
Stellantem petijt, Superûmq; cibaria mensæ.
At cur flammifero radiabat crine Cometes,
Ferreus obrueret postquam sua lumina somnus?
Cælum nimirum festos accenderat ignes,
Hic nouus Empyreæ dum hospes succederet aulæ.
Succamerarius Leopoliensis. Annon Albertus tantam MIASKOVIVS illi
Jnuidit sortem? qui luce reliquit eâdem
Terrestrem vitam. Cùm namq; simillimus æuo,
Non impar meritis, Patriæ studijsq; fuisset
Magne IACOBE tibi, multis & amicus ab annis,
Teq; cooptari in nitidum sensisset Olimpum,
Ponè tuos gressûs fidus properauit Achates.
Ecquid ei poteras immitis Parca nocere
Falce tuâ? cepit qui post sua fata, carentes
Fine malisq; dies; soli nocuisse videris
Sauromatûm Regno, cûi hoc tutamen ademptum.
Mortem illius clades publica consequitur. Scilicet vt Brasidæ post vltima fata, virilis
Sparta cadit; stratum bello post Epaminondam,
Protinus Ismeniæ plorant sua funera Thebæ.
Ceû Alcibiadis cum sorte rotantur Athenæ;
Ceûq; Ladislao mortis lapsante sub vmbras,
Aurea pax Lechiæ moritur. Sed non secus Heros
Hic meus; æternam vix clauso lumine noctem
Cæperat, extemplo pauidas pennata per vrbes,
Anxia fama ruit, cunctos terroribus implet,
Tristè sagittiferos aciem fudisse Polonam
Prædones Gethicos; bellis cecidisse probatum
Te KALINOVI, veteres perijsse strategos,
Hîc vbi Batouius despumat murmura Bochus;

Jngruere

Jngruere infensos hostes, & Marte sinistro
Omnia corripuisse, metum per compita ferri,
Ferri; Russiacas ignem renouare fauillas,
Sanguine præteritus quem iam restinxerat annus.
Ac iunctis Ordo ni surgat Equester in armis,
Hostem venturum ferro flammâq; potentem.
Proh! viden' ista tui quæ sunt monumenta furoris
Atropos? Vt primùm tantam fregisse columnam
Non te suppuduit, quâ se subnixa tenebat
Jmperij celebris Lechici structura, Laresq;;
Jllico pars peruasta ruit, laquearia raptat
Jn præceps fragor, intensas pluuiasq; niuesq;
Quæ priùs arcebant, celsis penetralibus & quæ
Præsidio fuerant, cunctis clypeóq; periclis.
Hunc ea collapsum comitata ruina colossum,
Arguit ingentem tectis vtilemq; fuisse.
Tu mihi sol miseræ testis, radiantia cœli
Sydera, tu Phæbeq; fidem stabilire potestis;
Et quibus auspicijs surrexerat, & quibus altum
Jsta columna tholum Regni fulcire solebat
Viribus, & qualem præ se virtute colorem
Jactabat. Primâ telas ab origine vitæ
Ordiar. Is necdum generosæ flore iuuentæ Adolescens respuit voluptatem.
Vernabat, binæ quem conuenêre Dearum:
Prima quidem Psyches proles lasciua Voluptas;
Qualis erat quondam Graijs occasio bellis
Tyndaris, aut exculta genas Cytherea cerussis.
Nam Phrygio graciles artûs velabat amictu,
Aurea crispatim ceruice natabat eburnâ
Cæsaries, blandis Venus illudebat ocellis,
Osq; genæq; rosas imitatæ, deniq; tota
Tota fuit fallax teneræ pellacia mentis.
Altera sed Stoico nusquam temeraria vultu,
Moribus insignis, præstans & nomine Virtus:
Qualis nonnunquam sub Pergama Penthesilea
Thermodontiacis deducens agmina rippis;
Non vllis faciem mentita coloribus, ornans

Sed grauitate genas, ſpreto cultiſſima cultu,
Herculeos tantùm ſpirabat maſcula neruos,
Tardo ſuccedens greſſu. Prior ipſa Voluptas
Aſſilit, ac teneros hilari dans ore cachinnos:
O mea præfragrans, inquit, roſa, floſcule pubis
Sarmaticæ! quæ te noſtris dare nomina caſtris
Fata vetant, rigidosq; iubent ſectarier auſus?
Jam te non pigeat noſtro committere ſceptro:
Huc ades intonſis vbi rident lilia pratis,
Huc vbi Flora roſas, violas, inſpergit, odoresq;
Ambroſios, nullis mordentur pectora curis,
Bacchantur læti iuuenes, leniſſimus altè
Spiritus aſpirat. Sudores nonne tuorum
Hoc vouêre tibi maiorum? ſiue gerebant
Multa ſago permulta togâ, tamen hunc ea finem
Præfixère ſibi celebrem, tu lætus eorum
Vt fruerere bonis; vt laudis plenus auitæ
Prædulcem terris ageres ſine turbine vitam.
Continuat vocem: ſed cùm ſubit oſtia Virtus,
Hæc tremefacta pedem retro cum voce repreſſit,
Attonitus iuuenis, ſic fantis pendet ab ore.
Sectatur Virtutem. Non ego cum blandis venio cariſſime verbis:
Fellea ſum dictis, at mellea quæq; faceſſo.
Jnfandum ſuadendo tibi virus, inſidiatrix
Jmpia Circæo miſtum cratere propinat.
Aurea tenduntur tibi retia, te quibus illa
Mancipium faciens, ornatibus exuat amplis.
Flos ſinit annorum, verum ſectare laborem,
Quem iuuet in laſsâ placidè memorare ſenectâ.
Nunc agè laudatis exordia ponito factis,
Otia deuitans, quæ florens diligit ætas.
Fulgeat incoctum ſacro tibi pectus honeſto.
Percurras animo memor immortalia Patrum
Nomina, quæ nulli mors inuida ſubtrahet æuo.
Hæc tibi cùm pandam, fidis dignare medullis.
Familiâ Vitellinâ conſpicuus. Diûm luſtrato cùm cepit lumen Olimpi
Corde Miecislaus, de Petri mittitur arce, Arce

Arce VITELLINVS prædiues laude ROBERTVS;
Hactenus errantes CHRISTI cumularet Ouili
Fidus Pastor oues. At enim sibi Gnesna tiaram
Præsuleam tradit, CHRISTI gaudetq; sub ipso
Ferre iugum· pietas crescit melioribus altè
Auspicijs; tandem migrantem ad sydera Martyr:
Excipit Albertus. Fuit ergo stirpis origo
Ille tuæ. Fratrem Romanâ gente relictâ
Scilicet in Lechiam duxit, secumq; Polonos
Exercere Lares voluit. Quos pluribus ambos
Etsi maiorum virtus decorabat auitis
Laudibus, & stantes in curribus Æmilianos
Percensere dedit, Latijs clarosq; triumphis
Perlongâ serie fecit iactare Vitellos;
Non duxêre satis; verùm virtutibus ambo
Ambo pro Lechico summis fulsêre theatro.
Ex his Sarmaticas Heroica fluxit in oras
Progenies, ex quâ pulcherrima messis abundè
Pullulat egregiæ laudis. quæ fortibus actis
Sydera celia petit, nec per tot sæcula firmæ
Deliquium virtutis habet. quæ luxit honore
Præsuleæ cidaris crebrò, Sellæq; Curulis.
Quæve suo Patriæ semper de sanguine præbet
Amphitryoniadas bello paciq; Catones.
O quàm tantorum dulce est meminisse virorum!
O genus eximium, vecti super æthera Manes
Auibus egregijs! O terq; quaterq; beatum!
Quem sua diuinis stirps exemplaribus auget,
Quæ deceat semper magnis imitarier actis.
Sed te degeneres animos nutrire, tuisq;
Dissimilem fieri, Dî talem auertite sensum!
Diræ censurâ subitò vexabere famæ
Famæ, quæ pernix (dictu mirabile monstrum!)
Terris ingreditur, caput inter nubila condit,
Jratis producta Dijs; quot corpore plumas,
Tot vigiles oculos, (lenti non conscia somni)
Tot linguas, totidem ora fouet, tot subrigit aures,

 Nec

Nec nisi degeneres hominum diffundit in ora.
At nè fortè tuas onerem verbosior aures:
Sunt tibi factorum sunt exemplaria, Ceræ
Maiorum celebres; sunt quos effingere vitâ
Congruat, & quorum trames te ducat in astra.
Nec tibi defuero præstò fidissima ductrix,
Ad nostri studium si te sententia vertat.
Me duce flammigero tu non frustrabere cœlo,
Me duce sub pedibus nubes ac sydera cernes;
Æthera nominibus multas complebit & oras
Gloria iussa tuis; te te Maurusia Calpe,
Quisquis & vlterior mundus, Ciuemq; Virumq;
Audiet egregium. Sed postquam talia Virtus
Dixerat, in liquidas rutilans euanuit auras.
Hæsit ad ætheriæ iuuenis pia iussa Magistræ,
Attonitus quid agat? satius iucundane primæ
Ambiat, an Diuæ suffragia dura secundæ?
Jamq; animum nunc huc celerem nunc diuidit illuc,
Jn partesq; rapit varias, perq; omnia versat.
Jnterea subitis carpuntur pectora flammis
Ætherijs, animos rectiq; cupido fatigat.
Jmò seu terras humentibus obruit vmbris
Phæbe, seu croceâ collustrat lampade Titan,
Ardet; corde tenus Virtutis imago recursat,
Menti semper adest, altè suspiria motans.
Maturè inhoat Militiæ tyrocinia. Postquam iam bellè doctis Tritonia secum
Porticibus lusit; subitò petit arma Gradiui
Feruescens Virtutis amor; properèq; capessit
Terribilem cristis galeam, mucrone sarissam,
Loricamq; ferox humeris superinduit altis,
Sanguine non pauidus Patriæ curare salutem.
Ast vbi pax Regno ramum prætendit oliuæ,
Turbida nec fines circumfrenderet Enyo,
Tranquillâ puduit residem torpere sub Arcto.
Sub Achmete I. Turcicum lustrat imperium. Arsacidûm bellis Achmetes fortè cruentus
Taurisij fatum, iuuenis, plangebat adempti,
Tygris & Euphratæ confinia pressa rapinis,

Marteq;

Marteq; militiæ florem cecidisse sinistro:
Mæret Mechmetis sortem genitoris iniquam,
Cuius Pannoniæ vires creuêre trophæis:
Ex animo necdum concessit auusq; Murathes,
Christiadûm toties infesto saucius ense.
Ergo sitim pacem, pacem dant sceptra Viennæ.
Panditur interea compostâ pace Palæstra,
Visere Threicio famulantia regna Tyranno;
Explorare simul quàm vasta potentia Turcæ,
Quidve suas potuit sub leges mittere lectam
Europæ partem; libertas prisca gementi
Quâ tandem valeat retro ratione redire;
Hostis quâ demum tantus queat arte domari
Finibus insultans patrijs: ea discere pulchrum
Tum fuit, vt patrios aptè referantur in vsûs.
Hæc illis statuit meus Heros quærere terris,
Non per lasciuas comptam Bryseida gentes.
Jlli Pannonius subitò percurritur Orbis,
Pingues exuuiæ Solimani mœnia Budæ;
Angulus hic, totum qui olim retonabat in Orbem,
Europam rigidis Asiamq; domabat in armis.
Hinc ferus Oenotrium pessundedit Attila Regnum,
Jndè triumphatâ leges Odoacer in Vrbe,
Pandebat Latio, spolijs Mundiq; receptis,
Victâ victrici regnauit victor in arce.
Visitur Jllyrium cum Bosnâ præda Pesaitæ,
Fructibus Ægypto necnon Bulgaria compar:
Lustratur gladijs Epyrus capta Murathis,
Suspicitur celsis splendescens turribus, olim
Romanæ nutrix Aquilæ, nunc barbara Lunæ
Bistoniæ custos, cui maxima vota supersunt
Temnere iura Dei, sanctas disperdere gentes.
Jmò Threicius quà tandemcunq; Tyrannus
Legibus Europam stringit, sufferreq; cogit
Jnsonti ceruice iugum, peragrauit abundè.
Vt primùm verò Lechicas remeauit in oras;
Multa viri virtus animo radiabat ab alto,

Mirus erat rebus grauidæ, solidèq; peritæ
Mentis honor. Sed si qua meis vicina querelis
O soror! hæc audis; ne absistam, fracta dolore,
Dicendis meritis; mecum partire laborem.

Redux in Patriam, ætatem in rebus bellicis consumit.

Qualis Thessalicus per aperta pericula Iason
Nititur, haud pauitans insana per æquora ferri;
Despiciens Hyadas tristes, Hædumq; cadentem;
Spernens ignivomis reboantia claustra iuuencis,
Vt lucretur ouans rutilantia vellera Phryxi.
Talis in Arctois quondam ZELENIVS oris
Armipotens, caræ non suetus parcere vitæ;
Siue quibus Marti mos est sæuire periclis,
Pro Patriâ gaudens absorbet, amatq; seuerum
Martis onus; veniant vt dulcia prœmia, summæ
Laudis honos. Equitem solâ de stirpe vocari
Temnit, sed ferro sed quadrupedante mereri
De Patriâ: veros Equites reputatq; fuisse,
Non qui vix hostes intra magalia pictos
Aspexêre, quibus vel pigrum lancea fusum,
Castra vel effrontes circùm ioculando puellæ,
Vel duro molles pro Marte fuêre Penates.
At qui non trepidum caput hostibus obiectando,
Ex arctis Lechiam spatijs, ad Balthica tandem
Littora, Finnicosq; sinus traxêre, sub vsq;
Euxinum pelagus, flauentis & ostia Tyræ.
Quare verus Eques dici fieriq; peroptans;
Æmulus antiquis Patriæ cultoribus, annos
Militiæ sacrat. Vos ô fortissima Martis
Germina! vos testor, quos iam veneratur Olimpi
Regia, ZOŁKIEVI, necnon bellax LVBOMIRSCI,
Ambo Agamemnones; hunc vos coluistis Achillem;
Hic vobis toties ductâ legione, phalanges
Fuderat hostiles; hic visus causa fuisse
Moschiticis, ac Threicijs permagna triumphis.
Nec minùs ergo suam tutatus acinace Spartam,
Quàm fortunati subnixus sorte Caducei
Hic, apud externos Aquilæ persæpe Polonæ

Victrices

Victrices lauros, pacisq; parauit oliuas.
Venerat in Lechicas latitans DEMETRIVS oras, Ad SIGISMVNDVM III. è Moschouiâ Legatus.
Frigida cûi patrios debebat Moschua fasces.
Hunc superesse refert cùm fama, Borissum
Jn Phlegetonta rapit: fatum finit, ille trionem
Auspicio SISMVNDE tuo sortitur auitum;
Connubio iungit natam de sanguine MNISZEK.
Ast vbi cupressos festi myrtis Hymenæi
Suiscius alternat, cùm cæsi corpora Sponsi,
Prodit Barbaricis demens fortuna cachinnis;
Sarmaticæ furtim cæcâ de nocte phalanges
Astu mactantur, mulctantur carcere mæsto,
Tutaturq; manus sese vix pauca superstes:
Ac improuisi gremio velut abdita cassis
Alituum pennata cohors, spe decidit omni,
Expectans certum procul omni vindice lethum.
Mittitur è tanto solers ZELENIVS æstu
SISMVNDI qui poscat opem; neu Patria natos
Posthabeat linquens miserè. Ciet ille Gradiuum,
Jnflammat studio Regalia pectora belli:
Edocet afflictos vinclis & cæde Polonos
Dura pati, sperniq; palam violabile nusquam
Munus OLESNICII; Lechiæ nunc pignora, Volgæ
Barbariem sentire feram; nunc tempus amicum
Gentis Hyperboreæ contundere cornua, iustis
Ensibus à sæclo raptum reuocare Smolenscum.
O quantas isthæc peperêre Caducea lauros!
Quàm fuerat nostris hic prosper Horoscopus armis!
Æternùm capti resonabunt vincula Suiscii,
Mænia fumantis nunquam tacitura Smolensci,
Dicet in Istuleos qui ductus Volga triumphos.
Vernat perpetuum viridis mansura per æuum, Ad OSMANVM II. Legatus ad Chotimum.
Orta sub augusto Zelenia palma Chotimo:
Sæcla per altisonis cantabit gloria labris;
Totis OSMANVS quàm nixus viribus olim,
Vltima Sarmatico celerabat funera Regno;
Tot mirmillonum fortissima millia ducens,

 Millia

Millia quot magnis nunquam venêre Mycenis
Ad Prygium Simoënta, fugax quot millia Xerxes
Quondam vix rapido diffuderat Hellesponto.
Dirus Erythræi Tyram bibit accola Nili,
Jam bibit auroræ fuscatus miles ab oris:
Bactra suos arcûs, contos Ægyptus & Indi,
Pictus Arabs, vncti vibrabant arma Sabæi:
Africa quot necnon Asiaticus Orbis habebat,
Barbarus Europæ quot & angulus agmina bellis
Dura, pharetratos quot censes Taure Gelonos,
Vnus erant iunctis stridens exercitus armis.
Obstupuit Tyras, insueto pondere tellus
Pressa dedit gemitûs. At quadrupedantibus auxit
Africa militiam, fauces tormenta sonoras
Addiderant centum: quæuis exercita bello
Pectora concurrêre, quibus partita Poloni
Iam ditio Regni; subter tentoria, Baccho,
Jamq; LADISLAI, sacrum spondebat, & Vrbes
Sauromatûm vanâ spe deglutiuerat hostis,
Mauorti fidens, quem sena parauerat æstas.
Vndiq; Christiadûm sed enim titubantia frigus
Ossa tenet, mentes pallescens arrigit Orbis.
Attamen haud Aquilæ cedit fiducia nostræ:
Viribus accissis occurrit, pauca virorum
Millia densantur, sociorum nulla feruntur
Arma, nec argenti, victûs, nec deniq; longi
Copia consilij. Secus haud certare Giganti
Atq; Philistæo Iesseius ardet ephebus;
Vltro difficilem sed conscendentis arenam
Viribus indubitant paruis, hostesq; suiq;.
Tenditur ad Tyram forti decernere ferro:
Mox Nuradinæo sparguntur compita tabo,
Mox Kantimirus fidente domatur in ausu;
Ipse sub aduentum certamina prima Tyranni
Committens, nec non ducens acerrima bellis
Robora Primatum, violentâ strage peremptis,
Concidit Heroum phœnix Othomanicus Vsâim.

Vis

Vis numerosa dein, tentatis impete castris,
Corporibus sternens aciem lugubrè, receptu
Semianimes potuit vix conseruare cohortes.
Jmò lixarum nostris puerûmq; cateruis
Rursus adorta, tulit vicinis tergora syluis.
Ferreus haudquaquam nostris offecerat imber,
Haud per bissenas tormenta boatibus horas:
Castra sed illorum licuit popularier, atq;
Tutò Barbaricas illinc abducere prædas.
Insuper inuictis florens Karakassius armis,
Perdidit ense caput, truncosq; reliquit arenâ.
Non vlulas temerè, rorans Osmane fluentis
Turgentes malas. O dire pudorq; dolorq;!
Heu quàm tristè cadis tumidè qui culmina prensas!
Heu serò trepidas fracturum guttura lethum!
Naupactæa fuit non tam malefausta Selymo,
Quàm tibi sanguifluum quæ turpat pugna Chotimum. Cladis Turcarum Chotimensis cum Naupactæâ collatio.
Jlle nec Ægeo tot mersa cadauera ponto
Liquerat aufugiens, quot tu substrata Chotimo.
Jlli permultæ stragem fecêre phalanges,
Te pauxilla manus pessundedit armipotentem.
Æternùm vestras iactabit gloria palmas
Sauromatæ fortes; toto crebrescere mundo
Nomina præstabit; clarissima prælia Tyræ
Extremos vltra vulgabit fama Iapones.
Te quoq; Magne simul cantabit fama IACOBE,
Qui fueras tanti pars non postrema triumphi.
OSMANVS bello fractus, duroq; ruinæ
Extremum sub Marte timens, victricia fassus
Pectora Sauromatûm, spectans nisi pace sequestrâ
Posse pedem saluum reuocari; protinus almæ
Pacis amore calet, pacem Veuellius orat
Victores, mitti Legatum iamq; precatur,
De rerum summâ quîcum conferre Senatus
Turcigenûm posset. Legitur ZELENIVS Heros
Non impar oneri, sed cuius brachia nomen
Mactè sustineant Lechicum, cuiusq; Mineruâ

Mactè radices firmet nuperrima laurus.
Corporis vt formâ mentisq; hostilibus ingens
Affulget castris, rigidis en vultibus hospes
Excipitur Procerum; verbis fastuq; laborant
Intentare metum, trepido sermone genisq;
Proderet exhaustas vires, vllumve suorum
Deliquium? bellone Duces desistere fessi,
Aut statuunt remeare? timor dominatur an vllus
Consilijs? Ceû ferripotens adamante resultat
Malleus indomito, satiusq; patescit hiulcum
In ferro vulnus: pariter tentata retundit,
Imò transadigit vafros constantia Turcas.
Magnanimum spernens aduersa tonitrua pectus,
Nulla supercilio prodit, sermoneq; nulla
Signa metûs: verùm quæ tanti fronte Catonis
Elucet grauitas, verbis audacia regnat,
Hostica fulmineo percellit pectora ritu,
In se Sauromatûm robur præbetq; legendum.
Non vulgat compressa fame pallentia castra,
Non vnum nitri dolium superesse fatetur,
Non bisquatternos apud hostem degere soles,
Non diras coram cædes spectare suorum,
Non tum committi Karakasîj prælia nostris
Territat inuictam mentem, suadetve timorem.
Perculit Osmanum constantia tanta pauore;
Hactenus vt fuerat qui spe nutritus, inanem
Iam iam despondens animum, castrisq; relegans
Iam te ZELENSCI, fædus pacemq; precetur.
Georgij OSSOLINII ad VRBANVM VIII. Oratoris aulæ Præfectus, ex arbitrio LADISLAI IV.
Sed postquam geminis est gloria parta Caducêis;
Hunc Vaticanus complectitur, alta Quirini
Mænia mirantur, Summus dignatur amore
VRBANVS Diuûm leges hominumq; gubernans.
Ausonijs Lechicos cùm vis æquare triumphos,
In veteremq; nouam satagis conuertere Romam
Dux OSSOLINI; cùm quas Heroica lauros
Obtinet, Odrysios domitans Moschosq; Monarchas
Dextra LADISLAI, Tarpeiâ sistis in arce;

Ducendo

Ducendo Præſes tanto fuit iſte triumpho
Jſte fuit; ſimilem cûi Vrbs Mauortia pompam
Vix vidit, ſæclo nec iam viſura ſequente.
Necdum tantorum requies & meta laborum
Aduenit impigro. Patrij vix namq; Penates
Conſpectu gaudent reducis; mox cura ſalutis
Jmperij natalis agit, magìs & magìs vrget,
Immanes addit ſtimulos; ſe nonq; Ladiſlâi
Eximit obſequijs; quà ſed Mahumetica ſplendens
Regia, Boſphoreis latè colliditur vndis,
Carpit iter; viſit gemmatâ ſede MVRATHEM
Iactantem ſeſe, toti mirabilis aulæ,
Alcidem referens, Ithacumq; grauemq; Catona;
Auguſtâ poſthac affatur voce Tyrannum:
Terrarum fecit ſeû te fortuna Monarcham,
Seû dedit imperio moderarier Amphitriten:
Aſpice quàm noſter minitetur rite Bootes
Enſe LADISLAI tibi, primæ à flore iuuentæ
Moſchiticam Volucrem, & veſtras poſternere Lunas
Qui didicit. Patitur nullum ſua Regna tributum
Jn gazas conferre tuas. liberrima gens eſt,
Nullum paſſa iugum; cunctis nam ſedibus Orbis
Libertas exacta, ſolo penetralia noſtro
Condidit. Hæc igitur gentes frænare ſuperbas
Duntaxat ſueuit generoſiùs, indecoremq́;
Mercari neſcit pacem, quæ ſemper in hoſtem
Intrepido Mauorte ruit; non mænia Chinæ,
Thermopylas, Alpes, pelagus, celſamve Pyrenen
Hoſtibus opponit, ſunt propugnacula pectus.
Victrix vult monitum te noſtri dextera Regis;
Deſertis quoniam permulta colonia campis
Gliſcit, & inſuetis cultoribus auia paſſim
Crebreſcunt, flammis nè depopuleris iniquis.
Ampliùs infandos Tyram potare Gelonos
Neû patiare, domos redeant ſtatione relictâ.
Noſtris & Dacis, medius pro limite Tyras
Eſto. Deuaſtare doles Euxina Coſachos

Ladislai IV. ad Murathem Legatus.

A quo hæc Pacta fædera, cum Regis & Regni applauſu extorſit.

Æquora?

Æquora; continuò nostris stringentur habenis.
Jam si præstantes deferre Caducea poscis
Ad tua tecta viros, modò tu præstantibus illa
Ad nos demandes, non inficiamur: egestas
Magnorum Lechiam non vrget quippe virorum.
Mutua sed pacis nobis hæc pignora sunto,
Nulla dies eadem iam nobis fœdera rumpat.
Percitus hâcce viri fantis, grauitate MVRATHES,
Os, humeros, animumq; stupens, non discolus æquum
Præbuit assensum, tumidâ nec mente Tyrannus
Obniti potuit, penitus parere coactus.
Hæc vbi Sarmatico dextrè sancita trioni
Produxit, domitiq; suo sermone Murathis
Signa tulit Patriæ, nimiùm queîs publicus altè
Consurrexit honos; meritæ non laudis egenus
Extitit, at semper Regi Regnoq; probatus.
Nec tamen occiduæ cùm reddit bruma senectæ
Cygnæum caput, & gelidus tardantibus annis
Sanguis habet, frigentq; effætæ in corpore vires,
Artus pro Patriâ violare laboribus horret.
Prorsus vt ob diros Lechiam nutare Cosachos
Cernit, & horribiles Regnum confringere clades;
Korsuni ferale videt, fatale Pilaucij
Exitium nostris; CASIMIRE Caducea postquam
Illi committis, Pereaslauiensibus hostem
Tecum MIASKOVI stringit, tecumq; KISELI
Inducijs: fuerat queîs non præsentius vllum
Auxilium, nec tot morbis medicamen obortis.
Nôrat quàm nullis domitus Pompêius armis
Armis, at multâ redimitus tempora lauro,
Concidit, vt modicam subijt cum Marte quietem.
Nôrat Iberiacos gnarus contundere fasces
Quàm cecidit Batauus, simulac sub imagine pacis
Stillantes posuit longæuo sanguine contos.
Ergo Borysthenium pariter compescere Martem
Non dubitat prudens: confestim pace trimestri
Hostiles mulcet cuneos; quâ Spartacus ipse

Ad rebellium Cosachorum Ductorem Legatus Pereaslauiam, vulgò Commissarius.

Segnitiem,

Segnitiem glomerans animo, consueta furoris
Toxica postponens, inter tot robora belli
Excors desipuit, sub paciferoq; Zborouo
Procubuit tellure super, squalentibus ora
Humectans lachrymis; imò victricibus vti
Armis nesciuit, totus præmollis inersq;.
Hæc vbi sinceræ nobis fundamina palmæ,
Helluo Sarmatici iecit torpore cruoris;
Turpe Beresteciâ nomen sortitus arenâ,
Quæ rubuit fusis longè lateq; Cosachis,
Fecit & informes Mæotica corpora truncos:
At quos Sauromatûm lassus non abstulit ensis,
Pulucrulenta dabant tremefacti terga per agros.
Ampliùs haud possum tristissima pandere Clio,
Quàm prælustre tuo miseranda Polonia cœlo
Occidit hocce iubar; cuius zyzygia felix
Auspiciumq;, tibi rabidos substrauerat hostes;
Atq; peregrinis clarè tua nomina terris,
Augustum decus, & celsum iactabat honorem.
Occidit heu prælustre iubar, præluxit opimis
Quod tibi subsidijs! Istinc Eubulia miros
Spargebat radios, Patriæ studiosa salutis. Grauissimorum consiliorũ feracissimus.
Promebat veluti prudens oracula Consus,
Quæ florem imperij libertatemq; fouerent.
Turbida pro rostris si quando exorta Quiritum
Seditio, varias & mens contraria voces
Scinderet, Herculeo mulcebat pectora ritu;
Multifidosq; regens animos, pietate refertâ,
Consilio dulci circumdabat omnia Suadâ:
Quemve foris Lechiæ semper monstrabat honorem,
Consilij plantare domi grauitate studebat.
Tu qui Ranzouius noster Morusq; fuisti,
Tu qui doctiloquum referebas ore Periclem,
O Ossolini: satis ipse peritus, ab illo
Consilij capiens effata, rogansq; cerebro
Jllius excocto quæ nam sententia staret?
Quæ meditatarum fluitabat copia rerum,

Jn Patriæ magnum redigebas crebriùs vsum.
Nam qûi non poterat penetrare sacraria Consi,
Judicijq; grauis dynamin comprêndere vastis
Pectoribus? varios cui perlustrâsse triones,
Eminus externos toties visisse Monarchas,
Tantis egregiè decorâsseq; nomina factis,
Literarum amantissimus. Non satis est visum; sed Pallados ardua semper
Otia non piguit celebrare, volumina perq;
Noctes atq; dies oculos animumq; morari,
Ac sociare suo constanter Apollina Marti.
In Iudicijs Regni æquissimus. Occidit heu! lachrymis sed rorat Curia Regni,
Bocchyrim illa suum, Poltim, iustumq; Canutum
Oppetijsse dolet: quem nuper namq; videbat
Areopagiticâ grauiter splendescere sellâ,
Cælituum liuore videt super astra locatum.
Jn quo cùm lites frænaret iure, micabat
Jngenium Baldi, vernabat candor Iphonis
Justitiæ scopulos fugiens; cui dira Celæno,
Æquo, doniuoros haudquaquam iunxerat vngues:
Ast vt Phæacas, Acheloia carmina, Circen,
Monstra fori, solers est præteruectus Vlisses.
Omnia cùm tanto plorant viduata IACOBO,
Jllius ac exsors, Lechiæ, plangoribus omnis
Angulus obruitur: (prô nostri causa doloris!)
Attamen æthereis plaudunt in sedibus illi
Summis in Repub: Viris familiarissimus. ZOŁKIEVI, CHOTKIEVICIJ, ZBARAVIADÆq;
EtKONIECPOLIj, LVBOMIRSCI, & KORIBVTHI:
Et quoscunq; potens gremio dignatur Olimpus
Scipiadas nostros, auratis sedibus omnes
Excipiunt illum, cuncti gratantur ouantes
Jô Pæan cuncti, secum subsellia nacto;
Certantesq; sodalitio coniungere, læti
Jngeminant nitido dulces de pectore voces.
Expectatus ades, tu namq; per æquora vitæ
Nobiscum vectus, nobiscum fœdus amoris
Pangebas, animis fidus commercia nostris
Jungebas, vnà terris arasq; focosq;

Ense

Enſe tuebamur, bello concurrimus hoſti
Belligero, (meminiſſe iuuat iam quippe laborum)
Jnq; togâ rectis Patriam ſtabiliuimus vnà
Conſilijs, vnà per tot diſcrimina rerum
Venimus in cœlos, carum littusq; tenemus·
Cùm DEVS optatam ſiuit comphêndere finem,
Æternis potiare bonis, rebusq; ſecundis
Gaude, iam renoua conſortia terrea nobis,
Ac ſimul Empyreâ compôſtus pace quieſce.
Præſtò SIGISMVNDVS felix, rutilansq; LADISLAVS, Regibus gratioſiſſimus.
Expleri mentem nequeunt; illumq; tuendo
Exarſit, palmas alacres & vterq; tetendit.
Ædes gratantur ſuperas, ac tecta Tonantis
Nunc introgreſſo; memorant ſecum quibus ipſe
Juuerit officijs Patriam; dignumq; fatentur,
Qui ſecum decus Empyreum virtute parabat,
Eminus ora ſimul iam cerneret Omnipotentis.
Jllicet amſanctâ SISMVNDVS fronte coruſcans,
Pulchra LADISLAI & præcox genitoris imago Præfectus aulæ SIGISMVNDI Poloniæ Principis deſtinatus.
Occurrens properè, amplexâ ceruice pependit.
Ecquis, ait, nobis poterat duxiſſe futurum,
Vt cœlo greſſûs ego te prior antetuliſſem,
Te fierem croceiq; vetuſtior incola cœli?
O ſpes incertas mortalibus! ipſa Tonantis
Conſtans non aliò ſeſe ſententia vertit.
Fortè gubernâclo genitor cum linquere noſtro
Olim Sarmatiam cuperet, nobisq; ſtuderet
Tam nitidis dignam ſolijs intexere mentem:
Te velut archetypum ſtudijt proponere nobis;
Qui noſtro iunctus lateri, Regalia doctis
Jugiter inſereres monitis præcordia; namq;
Non reperiſſe virum poterat ſub Climate veſtro,
Cûi tua temporibus niueis prudentia vernans
Jnferior fieret. Sed vix ſtipulatus amorem
Noſtro præſentem lateri, accitusq; parabas
Jntra Regales Patris conſiſtere poſtes;
Sedibus extemplo me ſors inopina recepit

 Aſtrigeris,

Astrigeris; Lechiæ potiùs pro fascibus, istas
Jussit habere domos lætum regnator Olimpi.
Nec te pæniteat, si tali sorte fefelli
A te migrando sursum: super æthera mecum
Jam iam perpetuo duces consortia sæclo.
Dum dabit Oceanus lymphas, dum nutriet Arcton
Orbis, Cunctipotens dum nunquam finiet æuum,
Perpes tu mecum diâ vesceberis aurâ.
Cœlicolûm reliquæ simulac vidêre phalanges,
Terrigenam Ciuemq; nouum succedere cœlo;
Densa caterua ruunt, miscent modulamine plausum,
Deducunt aurêis penetralibus, atq; recessûs
Ostentant aulæ varios; (mirabile dictu!)
Et iam percensent numero quàm multa voluptas.
Cærula nec gemmat baccis tot Pallados arbor,
Nec tot apes Floræ sacrâ pascuntur in Hyblâ,
Nec tot habet conchas, nec fuluas littus arenas,
Gargara nec spicas, nec tot Methymna racemos,
Gaudia quot vernant quot sunt solamina cœlo.
Dulcè recordantur cupidis quàm passibus astra,
Atria tam præclara quibus gradibusq; petebat.
Multa super Diuûm reputant cultuq; Tonantis:
Nunc quàm Seraphicis fuerit virtutibus ingens, *Vt variarum virtutum, ita Scripturæ S. studiosissimus.*
Nunc quâ Scripturæ captus dulcedine sacræ,
Quam prædulce fuit noctu lustrare diuq;;
Jnter & amplexûs illius claudere vitam.
Si Boromææ tuus fuit hæc, fuit illius hortus,
Quo delibabat cœlestis germina Floræ.
Tantalus, Hesperides, quoniam Cyrus, nec Adonis,
Isti consimiles habuerunt floribus hortos.
Hæc si Kempisio lautissima mensa putatur,
Hæc sua mensa fuit tuceto plena suaui,
Quo fuerat solitus neruos releuare Viator.
Jngeminant alij fuerat quàm cernere semper, *In egenos munificentissimus.*
Denso mendicis currentia munera nimbo;
Cernere semper erat populis vndare Penates,
Assiduos intrare inopes remeare beatos.

Nec

Nec tacet Assisias, celebrat Romualdus amorem
Flagrantem, inq; suos Loiola, Teressia fratres;
Dextra salutiferis fuerat quàm prodiga Mystis.
Factorum reliquam cohonestant laude cohortem:
Quorum gemmato superillita singula libro
Archiuum cæleste fouet; quæ scribere prorsus
Mæonios partûs, Andinæosq; labores
Exsuperet; nobis nec suppetit illa facultas
Dicere, nam semper dictis maiora supersunt.
Scilicet exultant Superi, quibus aduena tantus
Miscetur: miseri nos, non absistimus vnquam
Plangere terricolæ, tantum quêis lumen ademptum.
Crudescent gemitûs Lechiæ sub pectore, longus
Sufficietq; dolor lachrymas, lachrymæq; dolorem,
Ob desiderium prærepti pignoris ingens.

Tantas mærenti Clio dabat ore querelas,
Victa dolore cadens: at circumstantia tristem
Numina solando, planctûs gemitûsq; dedêre,
Ac animi largo monstrârunt vulnera luctu.

Ad Maiorem D E I O. M. Gloriam;
Augustissimæ Cœlorum Imperatricis,
Diuorumq; Omnium Honorem.